

26.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

QVA

FEBBRIS  
TERTIANA  
OB  
EMPYEMA

E VOMICA PVLMONIS RVPTA IN CAVITATEM PECTORIS  
DEXTRAM EFFVSVM, INDEQVE PVLMONEM HVIVS  
LATERIS COMPRESSVM, PENITVSQVE AB  
OFFICIO REMOTVM  
MORTEM POST SE RELINQVENS  
*PRAESIDE*

ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. ET P. P. ANAT. ET BOTAN. SVBSTIT.  
SOCIET. IMPER. NATVR. CVR. NEC NON REGIAR. LONDIN.  
ET BEROLIN. SODALI

PRO LICENTIA

SVM MOS IN MEDICINA HONORES OBTINENDI  
SPECIMINIS INAUGVRALIS LOCO

*D. xxiii. Augusti. M D CC XXXI.*

PLACIDAE DISSENTIENTIVM DISQVISITIONI  
EXPONITVR

IOHANN<sup>A</sup>E EPHRAIM MVTILLET

CASSELLANO - HASSO.  
H. L. Q. C.

*morb. p. 390*

VITEMBERGAE, PRELO SCHLOMACHIANO.

Pathol. spec.  
291, 72

## EXPLICATIO FIGVRAE.

**S**istit haec figura pulmonem, cuius lobus dexter, ab Empyemate ambiente et cavitatem hanc pectoris replente, compressus, mediastino et pericardio ita adhaerebat, ut abesse uideretur. In huius parte superiori et anteriori, quo loco pericardium in suo exortu cum eodem connectitur, biat cauerna sinuosa, a rupta uomica, unde prodiit empyema, relictum. Notandum uero, lobum hunc pulmonis dextrum paulo tumidiorem in figura expressum esse, ac primum in sectione apparuit, quia delineatio post iteratam inflationem et inijectionem aquae, qua dictus lobus aliquantulum intumuit, facta est.

- A. Cor in pericardio suo inclusum.
- B. Lobus dexter pulmonis.
- C. Cauerna sinuosa, in eodem a rupta uomica residua.
- D. Lobus sinister pulmonis integer et sanus.
- E. Asperae arteriae rudimentum.



Krieger sc. Pin.





quarum alia prae alia altius in corpore radices e-  
 git, cum grauiori Cacochymia, non raro etiam  
 uiscerum labe coniungitur, adeoque curam sat dif-  
 ficilem reddit, quandoque etiam, praecipue ne-  
 gligenter habita, aut praepostere tractata, alios  
 morbos grauissimos, ipsamque mortem, post se re-  
 linquere potest. Exemplo nobis in praesenti sit  
 Foemina, quam febris primum tertiana corripuit,  
 quae tamen, quia anguis latuit in herba, ob cu-  
 ram neglectam, aut peruersam, exitum funestum  
 habuit. Defunctae corpus aperuimus et Empy-  
 ma enorme, e Vomica pulmonis rupta, in dextro  
 pectoris cauo inuenimus. Dignus hic casus no-  
 bis est uisus, qui, speciminis inauguralis loco, pro-  
 ponatur, ut elucescat, quibus subinde morbis fe-  
 bres intermittentes complicentur, qui curam eo-  
 rum difficilem reddunt, aut plane eludunt, adeo-  
 que aegri hoc exemplo discant, febres intermit-  
 tentes, earumque curas, non unius esse generis, et  
 Tyrones Medicinae commoneantur, easdem non  
 una ratione esse tractandas, Empyricis uero aures  
 peruellantur, ut curis suis ineptis saluti hominum  
 ad interuersionem usque insidiari desinant. Faxit  
 Deus, ut hoc cedat in sui gloriam proximique  
 languentis solatium.

CASVS.

# C A S V S.

**F**ormina L. circiter annorum, trium ante-  
 hac liberorum mater, bona hucusque uale-  
 tudine fruens, aliquot ante obitum septima-  
 nis corripitur febre tertiana, quae postmodum  
 in quotidianam aut tertianam duplicem, quo-  
 tidie nouo paroxysmo urgentem mutatur. Ab  
 adhibitis, pro more uulgi, uariis, nescio quibus,  
 quaecunque ipsi a quibuscunque commendata  
 sunt, remediis ita dictis domesticis, nil quic-  
 quam leuaminis percepit, status potius in dies  
 deterior factus est. Accedunt tormina et cru-  
 ciatus grauissimi in abdomine ac pectore, con-  
 iungitur Asthma uehementissimum quotidie au-  
 gmentum sumens, sequitur inflatio abdominis  
 cum tumore pedum oedematoso, quo non obsta-  
 te, illa, necessitate coacta, quamdiu potuit, licet  
 aegre, obambulauit. Euanescit tandem tumor  
 corporis, sed spiritus redditur difficilior, usque  
 dum grauitate morbi uicta et suffocata fatis ce-  
 deret, nobisque corpus extrema macie confe-  
 ctum ad sectionem relinqueret. In aperto ab-  
 domine, canalis alimentorum ualde contractus  
 et

et extenuatus repertus est, in quo hinc inde uasa sanguine turgebant, intestinis uix digiti crassitiem habentibus, colo uero ad suetam alias tenuium capacitatem accedente, mesenterium atque omentum pinguedine omnino caruerunt, pancreas duriusculum, ac uesica fellea bile atra, et spissa, turgida fuit, quae uiscera circumiacentia colore foedo infecerat, ac quicquid eandem tangebant, instar solutionis Vitrioli, aut aeruginis, uiridi colore tingebat. Praeterea uiscera ibi contenta nullam manifestam labem monstrarunt. Inciso uero thorace, in dextro latere minima apertura facta, effluxit materia purulenta, qua sinus dexter pectoris ad exundationem usque replebatur; Posteaquam sternum eleuatum et pus eductum esset, maximam nobis mouebat admirationem, quod nullus in hoc dextro latere pulmo in oculos incurreret, utpote quem frustra quaerebamus. Dexter quippe pulmo contractus ac compressus, albi coloris, ob membranam externam induratum ac quasi callosam, pericardio ita accumbebat et agglutinabatur, ut iurasses, pulmonem hunc non esse, sed illum hic deficere, quia haec tenuis massa  
nequa-



nequaquam consuetam pulmonis faciem prae se ferebat. In eoque fere confirmati fuimus, quia ex secto pulmone cum corde, nullum flatum per tracheam immissum in eam penetrare uidimus, quo tamen sinister lobus pulchre distendebatur. Adhaeserat tamen superius paucillum costis superioribus, unde detracta hoc loco inter separandum membrana externa, interior substantia in conspectum prodibat, quae quidem sicuti coloris grisei, seu ex nigro et albo uariiegati, sed densa atque compacta erat. Ut adeo lobus dexter, quamuis integer adesset, officio tamen respirationis penitus defunctus fuerit. In scaturiginem copiosi puris inquirentes, inuenimus cauernam in hoc lobo pulmonis, ubi pericardium in suo exortu cum pulmone superius et anterius connectitur, quae in hunc penetrabat, ac in duos sinus fistulosos, ad superiora et inferiora tendentes, pariterque intus callosos, abibat. En fontem omnium perpefforum malorum, mortisque subsequutae causam.

B

THES.



## THES. I.

Februm in-  
termittenti-  
um natura,  
ortus et ua-  
rietas.



Quandoquidem ex historia morbi praegressi patet, primarium affectum, quo aegrotare coepit foemina, fuisse febrem tertianam, de hac primum dispiciendum nobis est. Hanc quidem, utpote e numero intermittentium, nullam cum Empyematice connexionem habuisse, nec ab hoc ortum traxisse, rerum medicarum periti facile subolfacient, quia illud in exortu febris ne quidem adfuit, aut, si adfuisset, aliam tamen, quam hanc, febrem, nimirum lentam, produxisset. Februm siquidem intermittentium fomes nidulatur in primis ita dictis viis, canali nimirum alimentorum, atque uisceribus abdominis secretoriis atque depuratoriis, hepate praeprimis, liene ac pancreate, glandulisque, quippe quae organa sola ob stata cibationis, chylificationisque tempora, chylum uitiosum, lymphamque in sanguinem

nem

nem inuehant, adeoque tales Paroxysmos febriles, certis interuallis repetentes, excitare possunt. Quando enim sufficiens ad paroxysmum producendum materia cruda in massam sanguineam delata est, ista hinc inde, praeprimis in extremis, stagnat, ac per uasa capillaria difficulter mouetur, quamobrem circuitus uitalis in minimis tubulis subsistit atque turbatur, unde horror et frigus cum refrigeratione extremorum, in accessu singulorum paroxysmorum communiter obseruatus, dependet. Sed mox sequitur calor et aestus, quando ob mixturam inaequalem sanguinis cum cruditatibus, circulo uitali obstantibus, partes salinae ac sulphureae purpurae uitalis, inter se et cum heterogeneis fortius exagitantur, motus intestinus ac circularis intenditur, sanguisque, fons omnis caloris, in corpore incalescit et exaestuatur. Quamprimum uero ualidus cordis motus et pulsus arteriarum materiam crudam, mutuo cum particulis sanguinis attritu, sensim attenuauit et diuisit, ac per uias secretorias atque excretorias expulit, aut saltem sanguis eam subegit, redit sensim aequilibratus sanguinis motus, febrisque cessat. Post aliquod tamen, pro cruditatum maiori minoriue copia, fluxilitate uel tenacitate uaria, uiscerum plurimum uel pauciorum leuiori uel grauiori obstructione, adeoque secretionum et excretionum turbatione laesioneque diuersa, longius uel breuius interuallum, sanguine nouo fomite febrili repleto, idem malum recurrit, eandemque tragoediam ludit, et ita uel

quotidiana, uel tertiana, uel quartana, oritur. Pro circumstantiarum istarum, nec non curae atque diaetae diuersitate, febris nunc anticipat, nunc tardius accedit, interdum duplicatur uel triplicatur, uariisque symptomatibus ludit, ex una in aliam mutatur, cum aliis morbis complicatur, aut in alios grauiores definit. Notatu digna est obseruatio tertianae quadruplicis, intra bidui curriculum, quatuor circuitibus in eundem ordinem reuolutae, quam annotauit *TVLPIVS L. IV. Cap. XLVII.* Memoria etiam prodiderunt Autores febres quintanas, sextanas, septimanas, nonanas, quae tamen rectius statuuntur species simplicium typorum, interpolata una accessione, aut pluribus, ita ut quintana tertianae, septimana quartanae, interpolata una accessione, species aestimanda sit, iudice *D. SCHVLZIO*, uti uidere licet *BONET. Med. Sept. P. II. L. V. S. III. Obs. XXIV.* De Menstruis et Annuis nil addimus, quae spuriae omnino reputandae sunt.

### THES. II.

Tertianae  
fundamen-  
tum in no-  
stra,

**A**d nostram quod attinet defunctam, quoniam ab Empyemate febris tertiana non potest deriuari, non immerito quaestio erit, ubinam fundamentum febris huius constituendum sit, unde illa ortum traxit. Nolumus quidem cum *SYLVIO* in assignanda causa febrium intermittentiū accusare unice succum pancreaticum in ductibus suis lateralibus stagnan-

gnantem, nec tertianam solum adscribere bilis uitio et restagnationi, quia longe maior est numerus causarum huc concurrentium, quam ut adeo angustiis limitibus includi se patiantur. Nihilo tamen secius bilis cum succo pancreatico in opere chylicationis atque chyli secretionis primarias partes tenent, uti notum est ex Physiologicis. Quoniam igitur, uti antea uidimus, febrium intermittantium causae sedem suam radicalem potissimum habent in primis uis, nullum est dubium, horum humorum degenerationi ac secretioni uitiosae, si non unice, tamen primario, tribuendam esse originem febrium intermittantium. Idque pulcre confirmat casus noster praesens, ubi in Foemina hac febrem tertianam ex nullo alio fonte deducere licet, quam ex induratione et obstructione glandulae pancreaticae in sectione repertae, ac bile crassa uiscida in uesica fellea ualde distenta stagnante, unde chylicatio atque chyli secretio non potuit non laedi. Lubenter tamen largimur, contingere posse, ut in corpore, febre intermittente ob uarias circumstantias concurrentes defunctorum, nulla manifesta labes pancreatis atque hepatis et humorum in his uisceribus secretorum in oculos incurrat, quia non omnes uiscerum et liquidorum contentorum laesiones sensibus patent. Sicut etiam inficias nullatenus ibimus, uitia manifesta eorum non necessario sequi febres, quia alii morbi, malum hypochondriacum, icterus, cachexia et hydrops, ac plures inde dependent.

B 3

THES.

## THES. III.

Prognosis  
intermittentium et Cura rationalis.

Quamuis de febribus intermittentibus Prognosticon HIPPOCRATIS nostri *L. IV. Aph. 43.* adhuc ualeat, eas, quouis modo intermiserint, periculi expertes pronunciandas esse, id tamen de iis, qua talibus, saltem intelligendum esse, Medici norunt. Exempla quippe ab Autoribus consignata testantur, iisdem etiam quosdam mortuos fuisse, siue quod tales genuinae non fuerint, sed potius continuae remittentes, uel quia, ob alios morbos grauiore complicatos, his potius, quam istis, aegri interierunt, uti noster quoque casus confirmat. Ob has enim aliasque circumstantias concurrentes, alia prae alia est diuturnior ac curatu difficilior. Generalis quidem indicatio requirit, ut cruditates in primis uis, fomitem his febribus suppetantibus, medicamentis praeparantibus digerantur, ac deinde euacuentur, uiscera obstructa aperiantur, tonus eorum corroboretur, digestiones atque secretiones promoueantur atque in ordinem redigantur naturalem. At quis non uidet, ob tantam febrium harum diuersitatem, cacochymiarum peccantium miram uarietatem, obstructionum in uisceribus uariis, itemque temperamentorum atque aetatum, complicationumque cum aliis morbis differentiam, diuersis opus esse digestiuis et aperitiuis, atque euacuantibus quoque appropriatis? Quis enim in nostra, quaeso, cognita interna constitutione, suasor esse uoluisset, assumendi uomitorii, in primis fortioris? Vtut enim forte

forte

forte ad rupturam uomicae, siquidem illa iam in accessu febris praeextiterit, aliquid ualere potuisset uomitorium blandum, ut materia contenta uiam ad bronchia inuenisset, ac expectoratione foras ejecta fuisset; Æque tamen facilis fuisset eruptio intra cauum thoracis, cum suffocationis uitaeque periculo, uti situs uomicae superficialis et euentus ipse in nostra confirmat. Aut forte purgante fortiori materia purulenta euacuari potuisset, quale aegra anxie efflagitauit, nil magis, uti nobis relatum est, in uotis habens, quam ut purgante potiretur efficaci, ad pectus ab oppressione liberandum. Exempla quidem ab Auctoribus fide dignis consignata reperiuntur, etiam Empyema, seu materiam in cavitatem thoracis elapsam, hac uia euacuatam fuisse. Sed quis fidem suam interponet, exoptatum inde effectum certo promitti potuisse. Forsan tamen corticis peruuiiani febrifugi decantatissimi atque optimi etiam tutissimique, si debita cum circumspectione adhibeatur, usu, febris tertiana in ipsa herba extingui, uomica nondum facta praecaueri, aut praesens iam ad exitum praeparari potuisset? Talia uero, utpote mere contingentia, nemo promittere ualet. Tantum ergo abest, ut febres intermittentes omnes una eademque ratione, iisdemque remediis tractari uelint, ut potius respectus ubiuis habendus temperamentorum, morborum complicatorum, uel antecedentium aliarumque circumstantiarum.

THES. IV.

## THES. IV.

Curaciones  
empyricae et  
irrationales.

**E**x hactenus dictis apparet, quam male sibi consumulant febricitantes, curae Empyricorum se committentes, et quam pie agant hi, tales curas, absque omni causarum, subiectorum aliarumque circumstantiarum cognitione et consideratione, suscipientes. Sed surdis narratur fabula. Non commemorabimus nunc curas sympatheticas per Amuleta et transplantationem, quae non merentur, ut earum mentio hic fiat. Mira tamen sunt, quae alias contra febres profuisse narrantur. Hic esu halecis a febre liberatus fuit, alter comesto petasone crudo cum brassica muria condita conualuit, in tertio crapula soluta fuit febris, et quae plures sunt huius farinae curationes. Quis autem non uidet bonitati Naturae, aut Medicamentis praemissis, aut euacuationibus ualidis inde secutis, effectum salutarem potius, quam his remediis, adscribendum esse. Probat hoc obseruatio LANZONII in *Ephem. Germ. Dec. III. et IV. obs. LXVI. p. 153.*, qua plebeius Ferrariae, temperiei biliosae, quartana affectus, libras duodecim uuae comedit, a cuius esu alui fluxus secutus est, sicque febris abiit. Sordidius paulo fuit antifebrile, quod, referente CVMMENO, cuidam Westphalo Tremoniae ad febrem tertianam, post sex mensium curam frustra a Medicis tentatam, exhibuit Monachus Dominicanus, stercus nimirum suillum in libra semis spiritus uini per horam infusum et colatum cum expressione forti, a quo haustu aeger in sudorem



sudorem lapsus egregie sudavit, febrisque cessavit, *uid.* BONET. *Med. Sept. P. II. L.V. S. I. obs. 3.* Plures huiusmodi curas e. gr. per potum foetidissimi nectaris ex spurcissima pecorina colluie, quae porcorum sordibus lustrandis et abluendis (uulgo die *Sau-Schwemmen*) destinata est, nec non lactis ebutirifati, in quo prius catus lauatus fuerat, *uid.* in *Ephem. citat. Dec. III. A. II. obs. CCXVI. p. 336. et A. I. obs. LXIII. p. 91.* — Ecquis omnia absurda, a uulgo ad curationem febrium adhibita, remedia enarrare poterit, a quibus tamen, quandoque, casu, medela sequitur, quod equidem non mirum, quandoquidem etiam alapa febrem curatam fuisse, obseruat D. ALBRECHT *l. c. A. II. obs. CCII. p. 313.*

## THES. V.

Quas hactenus curationes febrium singulares commemorauimus, tales sunt, ut nemini illas ad imitandum commendare queamus. Ut enim ab usu huiusmodi remediorum, etiamsi non sordidorum, tamen absurdorum, febres cessarunt, alia tamen haud raro mala, multo peiora, secuta sunt. Piscator enim ille, qui e pecoraria colluie bibit, febrem quidem amisit, non tamen prorsus innoxie, lautitias has, (si Dis placet) et impune bibit, sed tumore abdominis et torminibus uehementissimis gulositatem suam aliquantisper luere debuit, uti loco cit. uideri potest. BONET. *l. c. obs. V. et VI.* refert binas Segeri obseruationes, de febris fuga per lardum muriaticum, singulis digitorum in pedibus interstitiis interpositum, unde in

Noxae a Curis empyricis secutae.

C

Patre

Patre Cantore Dominicanorum, febris tertiana cessauit quidem, qui tamen haud ita diu post hemiplegia tactus interiit, et in foemina, eodem remedio ad praedicti Cantoris commendationem usa, febris non remittit, sed potius maiori uiolentia aegram inuasit. Non possumus a nobis obtinere, ut taceamus hic casum, nuper in nostra urbe usu uenientem, utpote qui dignus est, ut memoriae prodatur ad terrorem a Medicamentis empyricis incutiendum. Miles gregarius e nostro praesidio, natione Vandalus, ex inferiori Lusatia, triginta circiter annorum, bonae alias et robustae naturae, praecedente Autumno epidemice grassantibus hic et alibi intermittentibus, inprimis quartanis, febre affectus, inter alia domestica remedia, singulis paroxysmorum accessionibus, durante frigore, copiam spiritus frumenti ingurgitauit, ac uidens, uomitum inde sequi, potum hunc continuauit, sicque a morbo conualuit. At quid sit? Ex patria, ubi tunc uersabatur, redux laetus ad urbem nostram ad seruitia continuanda reuertitur, quam uix ingressus, pauco dierum interuallo, subito uisu totaliter et omnimode priuatur, cum intolerabilibus capitis, oculorumque doloribus, horum distorsione et palpebrarum occlusionem, quae ui etiam adhibita se dilatari non sunt passae, ob ingentes cruciatu contactum digitorum non tolerantes. En egregium remedium domesticum.

THES. VI.

An sympto-  
mata et  
mors in no-

**A**d nostrum nunc casum reuertimur, quo sistitur foemina, ex febre tertiana, licet non culpa febris, tamen

tamen empyematis, durante febre, uel post illam generati, defuncta. Quid illa ad profligandam febrem usurpauit, ignoramus quidem. Sciscitantibus enim nobis nullum aliud, uti solet, responsum datum est, praeter illud, domestica uaria applicata fuisse remedia. Magna itaque est suspicio, ista nec morbo, nec naturae aegrotantis, fuisse congrua. Et si uel maxime largiamur, innocua illa, nec quicquam ad sinistrum euentum fecisse, solus tamen neglectus aut defectus curae conuenientis sufficit, ut eidem generatio empyematis ac subsecuta mors adscribi queat. Induratio pancreatis ac repletio uesiculae biliariae bile atra aeruginosa satis superque confirmat, hos duos liquores ad chyli-  
ficationem et chyli secretionem absolute necessarios, in defuncta libere ad intestinum duodenum non affluxisse, adeoque generatis in primis uis cruditatibus, iisque ad sanguinem delatis, febrem tertianam ortam fuisse, uti supra uidimus. Neglecta igitur euacuatione earum, aut plane per inconuenientia remedia turbis in sanguine auctis, quid facilius fuit, quam ut, iisdem in sanguine cumulatis, abscessui et uomicae in pulmone generandae occasio data sit? Idque tanto magis, si iam dispositio ad uomicam in pulmone, aut uomica minor, uti probabile, praesens fuerit. Quid enim uulgarius est, quam quod ex posthabita decenti, aut adhibita imprudenti, febrium intermittentium cura, indurationes, inflammationes, atque exulcerationes uiscerum oriuntur? Testimonium de hoc praebent febres continuae, inflammatoriae, lentae cachecticae atque hecticae,

stra, curae  
peruersae  
uel saltem  
neglectae,  
adscribenda?

cae, icterus, cachexia atque hydrops, haemoptysis, phthisis, atque plures morbi grauissimi et exitiosi, ex febre intermittente male curata subinde oriundi, quales obseruationes ab Autoribus consignatae sunt, ac a quouis Practico e Praxi clinica suppeditari poterunt. Imo frequentissime in dictis morbis cura Medicorum efflagitur, ubi in causas ac uitam anteactam inquirentes, experimur, febrem intermittentem neglectam uel male curatam, interdum uno uel altero anno, hos morbos praecessisse.

### THES. VII.

Vomicae eiusque causarum consideratio.

**V**t propius ad rem accedamus, de Vomica nunc discipiciendum erit, quia ex hac rupta, Empyema pectoris in nostra repertum, ortum traxit. Vomica a uomendo dicta, quod uirulentum quid uomat, merumque uirus contineat, est ulcus occlusum, aut materia purulenta in capsula, quam pus ipsum sibi efformat, collecta et inclusa, a sanguine stagnante et extra limites egresso, putrescente ortum. Vomicae tales obseruatae quidem fuerunt in quam plurimis uisceribus internis, cerebro, hepate, renibus, imo in mediastini interstitio, frequentius tamen iisdem obnoxius est pulmo ob substantiam laxam et mollem, contextum uasorum, cellulas et uesiculas membranaceas perreptantium, nec non ob continuum motum in respiratione, immediatum accessum aeris frigidi, impuri, uariisque effluuis permisti, iniuriasque alias stagnationi humorum et extrauasioni fauentes et occasionem

fionem

fionem praebentes. Sanguis quippe extra sua uasa egressus, ac extra circulum constitutus, nisi cito euacuetur uel resoluatur, ob heterogeneitatem partium, mox putredinem concipit, et quoad partem praepri-  
 mis seroso-chylosam in pus mutatur, uti de abscessibus et ulceribus quibuscunque constat. Haec materia purulenta, in minima licet quantitate inclusa, stagnando acrior reddita, partes circumiacentes rodit ac corrumpit, finumque sibi format, donec data uia excludatur. Tunica pus includens ab ipsis membranis uasorum ac cellularum pulmonalium expansis, atque acredine materiae occalescentibus et induratis dependet, ut adeo opus non sit cum SYLVIO *Prax. Med. Append. Tract. IV. §. LI.* hic accusare glandulas ac tubercula glandulosa, quia glandulae in substantia pulmonum per naturam, nullae dantur, ut ut ille dicat, eas minimas esse, oculorum aciem in statu naturali fugientes, quae praeter naturam grandiores factae, in conspectum prodeant. Notatu dignum est, eiusmodi uomicas pulmonales integras et tunica sua adhuc circumdatas, oui columbini et gallinacei mediocri magnitudine tussi eiectas fuisse, testantibus obseruationibus STALPARTI *van der VVIEL in obs. rar. Cent. 1. obs. XXXII.* adductis. Mirum sane, talia, absque suffocatione per bronchia et tracheam penetrare posse. Reperiuntur uomicae modo simplices uel plures, separatae uel inter se communicantes, in extremitate uel basi pulmonis, et quidem uel superficialiter, uel profundius, in substantia eius, in dextro

aut sinistro, aut utroque lobo, unde periculum maius uel minus imminet.

THES. VIII.

Diagnos  
Vomicae.

**E**st autem Vomica talis morbus, qui admodum occulte radices agit, insensibiliter crescit, insidias struit sanitati ac uitae, atque cuniculis eam oppugnat, hominesque saepe citius interimit, quam se aegrotasse senserint. Latet enim hoc uitium, testimonio TVLPPI *L. II. Obs. Med. Cap. X.*, inter initia adeo clanculum, ut uix ulla sui proferat indicia, praeter tussiculam primo siccam, sed mox humidam. Qua aliquandiu continuante, trahitur difficulter spiritus; deficit anima et emarcescit paulatim corpus, licet interim, nec pus, nec sanguinem, praese ferant sputa. Sed si rumpatur nec opinanti uomica, occiditur dictum ac factum homo. Confirmat hoc idem duplici exemplo Senatoris, cui adeo exitialis fuit disrupta thoracis uomica, ut intra biduum ipsum occiderit cum dolor eruptionem antecedens, tum pus eam insequens. Hic tamen religiose asseruit, se nullas insidiantis uomicae animaduertisse notas, nedum tussiculam, aut ullum incessus sui incommodum. Attamen se satis euidenter nunc uidere, dixit, inexpectatum illud pus non heri atque hodie, sed diu ante, fuisse collectum; constare sibi abunde, res et euentus humanos saepe latere, in alta nocte, et, ut ferrum rubigo, ita et absconditas causas tecte nonnunquam consumere homines

nes, nihil sequius cogitantes. Ob mollem enim, membranofam laxamque substantiam, exquisito sensu pulmo destituitur, unde in generatione huius apostematis, nec dolor acutus oritur, nec idem iam tum factum, nisi in medio ac basi pulmonis existat, et ramificationes maiores uasorum circulantium atque bronchiorum premat, respirationi multum obest. In aliis uisceribus existens uomica adhuc difficilius cognoscitur, quia ibi nullam tussim, aut asthma, quae inter alia signum eius probabile praebent, excitare potest. Contingit non raro, ut homines obstructione ac corruptione uiscerum internorum laborantes, faciem bene coloratam, floridam ac bene ualentium similem prae se ferant, ob sanguinis circulum in uisceribus difficilem, quamobrem ille tanto magis in externo corporis habitu turgescit. Sed latet anguis in herba, quia tales saepe subito pereunt, unde non male comparantur cum pomis rubicundis, quae saepe uermes in interioribus alunt. Quando uero ex Pleuritide, aut Peripneumonia malum oritur, dolor acutissimus coniungitur, sed abscessu facto dolor iste febrisque inflammatoria cessat quidem, sed continuat calor lentus ac hecticus. In ACTIS BEROLINENS. Dec. I. Vol. III. in historia morbi Lichtscheidiani, annotatur aegrum hunc in generatione uomicae ex peripneumonia per duodecim dies ineffabiles fere cruciatus in toto corpore, excepto capite, horribiles uellicationes, rosiones ac dilacerationes mordacissimas, ac si prunae canden-

den-

dentes intus laterent, sensisse, mox uero totum corp<sup>u</sup>s occupasse dolorem grauatium, ac si undique furunculis esset obsitum, qui sensim, rupta uomica et pure in cauitatem effuso, remisit.

THES. IX.

Vomica an  
praecesserit  
in nostra de-  
functa?

**Q**uando itaque, uti non immerito fit, quaeritur, utrum uomica in nostra defuncta, febrem tertianam praecesserit, et in eius exortu iam adfuerit, an uero culpa febris aut curae peruersae, uel saltem neglectae, generata sit? Sane certi quid definire hic non licebit. Nihil quidem, adhibita omni diligentia, explorare potuimus, illam de incommodo quodam ante febrem conquestam fuisse, ut potius omnes, qui eam nouerunt, affirmant, ipsam forti appetitu instructam, in laboribus suis strenuam ac indefessam, omnisque tussis, asthmatis, aliorumque malorum, quae suspicionem aliquam praebent, fuisse expertem. Attamen haec nos nullatenus mouent, ut in nos suscipiamus, pro certo affirmare, nulla adfuisse uomicae rudimenta; quoniam ex antea dictis constat, nulla interdum, uel saltem ualde obscura, esse eius in corpore latentis signa. Nihilo tamen secius nemo contrarium tueri, aut idoneis argumentis demonstrare poterit, illam certo adfuisse, febremque nihil ad eam attulisse. Contra maxima adest suspicio, istam a febre negligenter habita, aut male tractata, ortum habuisse. Id enim suadet locus, ubi sedem habuit uomica in pulmone, qui non est in extremitate lobi pul-



pulmonalis, sed in ipsa basi superius in ortu pericardii, ubi ingrediuntur trunci bronchiorum et uasorum pulmonalium, adeoque cordi proximus, quo loco diutius subsistere non potuisset uomica, inprimis grandior, quin tussim, difficilem respirationem, cordis palpitationem, aliaque incommoda induxisset, sui que praesentiam mox prodidisset. Et si uel maxime largiamur, aliquale initium eius, aut uomicam exiguam, ibi latuisse, tanta tamen in principio febris non fuit, quanta durante illa facta est, ut potius extra omnem dubitationis aleam positum sit, eam febris aut curae culpa incrementa tanta sumpsisse, usque dum, aucto humorum affluxu, ac materia copiosius collecta, perrupta exteriori pulmonis tunica, pus in cauitatem effunderetur, qui frequentissimus est exitus huius mali.

## §. X.

**Q**uod enim nunc ad uomicae Prognosin attinet, <sup>Prognosis</sup> ex hactenus dictis satis superque constare credi- <sup>Vomicae,</sup> mus, quam malignus atque periculosus morbus sit uomica, quia praeter spem et opinionem homines citius iugulat, quam, se aegrotasse, senserint. Materia quippe purulenta, in exigua licet quantitate primum in capsula inclusa, continuo affluxu humorum per uasa lacerata, rupta atque corrosa augetur, eadem acedine ac putredine latius serpit, partesque ambientes latenter corrodit, nec quiescit, donec uiam quaqua- uersum elabendi inuenerit. Fit autem saepissime, ut

D

ob

ob densitatem capsulae ambientis, aut profundio-  
 ritum, uia erumpendi impediatur, unde circulum san-  
 guinis per pulmonem, ac respirationem inhibendo,  
 aegrum subito suffocare potest. Idem quoque suffo-  
 cationis periculum adest, quando ob nimiam materiae  
 copiam, una et semel bronchia inundantur, et sic re-  
 spiratio intercluditur. Exemplum huius occurrit in IACOB  
 GVILLEMAY operibus p. 856. citante BONET.  
*Sepulc. L. II. §. II. obs. XI.*, ubi sectio corporis Caroli  
 IX. Regis Gallorum describitur, in cuius pulmone  
 prodidit se uomica rupta, e qua colluuius purulenta,  
 putrida et graueolens effluxit, cuius tanta fuit copia,  
 ut in asperam arteriam redundarit, et praeclosa re-  
 spiratione praecipitis et repentini interitus causam at-  
 tulerit. Contingere etiam potest, ut truncis aut ra-  
 mis uasorum pulmonalium acredine materiae exesis,  
 haemoptysis lethalis excitetur. Imo pus hac uia in  
 cordis cauum penetrasse, testatur FERNELIVS *Pathol.*  
*L. V. cap. 10.*, non pauci, inquit, *inopinato, e uiuis*  
*borae quadrante erepti sunt, in quibus dissectis non a-*  
*lia mortis causa comparuit, quam repentina uomicae di-*  
*fruptio in pulmonibus, e qua pus in cordis arcem penetra-*  
*uerat, ipsius uim extinguens atque obruens.* Nihilo ta-  
 men secius exempla adsunt eorum, in quibus uo-  
 mica feliciter per expectorationem reiecta est, ae-  
 gris superstibus et sanatis, uti exempla supra ex  
 STALPARTO *uan der WIEL* citata monstrant, qui-  
 bus addi potest, quod idem *loc. cit.* affert, ubi adducit  
 quen-

quendam uomica infestatum, e qua perrupta duodecim quidem puris librae (illud enim a curiosis appendebatur) diuersis temporibus prouenere, qui tamen pristinae sanitati restitutus fuit, pluresque recte ualens annos transegit. Adstipulatur etiam WILLISIVS *Pharm. rat. P. II. Sect. I. C. II. p. 142.* dicens: *noui plures, qui cum e pulmonis uomica orta, maturata, et demum rupta, pus copiosum et foetidum expuissent, cumque tale sputum per multas hebdomadas, imo menses, quotidie excernentes, debiles adeo et ueluti tabidi euasissent, tandem medicamentorum ope, cum ulcus detergeretur et siccaretur, integre conualuisse.* Frequenter tamen pulmonis corruptionem post se relinquit ac Phthisin efficit, uel si superficialiter magis fita sit uomica, in cavitatem perrumpit, uti in nostra factum est, unde fit Empyema.

## THES. XI.

Sic tandem accedimus ad Empyematis considerationem, quia hoc in defuncta immediata suffocationis mortisque causa extitit. Empyema quidem ui uocis, ac in sensu generaliori, indicat quamcunque supurationem internam, in quocunque loco factam, seu pus intus contentum; in specialiori significatione tamen Medicis dicitur tantum pus in cavitatem quandam notabilem, in specie pectoris, effusum atque collectum. Oritur hoc e sanguine ac humoribus eidem admixtis, siue per uulnera atque rupturam uasorum

Empyema  
quid, et unde  
oriatur?

D2

in

in cauitatem elapso, ibique putrefacto, siue in abscessu quodam partium, in cauitate pectoris contentarum, in pus conuerso, ac demum per huius rupturam in eam effuso. Sequi propterea obseruatur hoc malum non tantum uulnera, aliasque iniurias thoraci ab extra illatas, sed etiam morbos uarios male iudicatos, inflammationes internarum partium, pleuritidem, peripneumoniam, atque anginam, in abscessus abeuntes, unde pus siue in substantia pulmonis, aut inter pleuram et musculos, aut sub sterno in mediastini duplicatura ac interstitio eius celluloso colligitur, ac postmodum in cauum pectoris effunditur. Distinctionem quidem hic adhibent inter pus et materiam purulentam, illud humorem nutritium sanguinis, aut ipsum sanguinem corruptum, hanc uero humorem excrementitium, ichorem, seu serum esse dicunt, quae quidem distinctio non adeo improbanda. Quia tamen uterque humor, tum pus, tum materia purulenta, interdum insigniter foetet, interdum odore tetro inimunis est, iudice WILLISIO *Pharm. ration. P. II. S. I. Cap. X.* multi taedii res esset, singulorum huiusmodi accidentium et alterationum rationes particulares designare, in quantum perexigua tantum puris aut materiae purulentaе alteratio iis foetorem inducit adimitque. Et quoniam, teste eodem, indicium non semper malum, nec etiam ualde bonum est, si phthysicorum sputa et empyematicorum abscessus, cum uel sine graueolentia excernuntur, cum utriusque casus  
quos-

quosdam salubres, aliosque funestos, extitisse constat, parum utilitatis haec distinctio ad Prognosin, multoque minus ad curationem, habere uidetur. Differentia tamen est inter Empyema et Hydropem pectoris, qui duo affectus signis suis iudicandi, ac a se inuicem discernendi sunt.

## THES. XII.

**P**rodit se quidem tam aqua, quam pus, et quodcunque liquidum, in cavitatem thoracis elapsum, tum pondere diaphragma premendo, ac respirationem laboriosam reddendo, tum fluctuatione sua, pro uaria inclinatione corporis, nunc huc, nunc illuc, decurrendo. Stando aegri pondus in dorso, ob situm diaphragmatis decliuem sentiunt, decumbendo uero in dorso propter molem pulmoni truncisque uasorum incumbentem, difficilius, ac cum metu suffocationis respirant, quod etiam fit, si in latus sanum se uertunt, quia tunc pericardium ac mediastinum premitur. In morbo uero latere commodius quiescunt, quoniam ita materia uisceribus thoracis non est molesta. Vtrum uero Hydrops, an Empyema pectoris adsit, manifestant causae praegressae, ac Symptomata concomitantia. Hydropem enim pectoris antecedunt et comitantur signa Cachexiae atque hydropis uniuersalis. Accedit quidem in Empyemate etiam habitus corporis leucophlegmaticus et oedematosus, quemadmodum etiam in nostra contigit, qui tamen hydropem pectoris potius antecedit, ac in summo gradu adest,

Diagnos  
Empyematis.

adeſt, antequam aqua in cauum thoracis elabatur. Praecedunt praeterea empyema laeſiones uariae thoracis ac pulmonum, uti ſupra uidimus, uulnera, pleuritis, peripneumonia, uomica, phthiſis, coniungitur febris lenta hectica, quin etiam, obſeruante RIVERIO *L.VII. cap. 4.* ut plurimum tumor in loco affecto doloroſus apparet. Hoc etiam in *Historia morbi Lichtſcheidiani ſupra ex ACT. BEROLINENS. citat.* obſeruatum eſt, in quo ſiniſtrum pectus ob empyema intus contentum expanſum fuit, ac extuberauit paulatim, inſtar gibberis. Hoc etiam ſignum praebet, paracenteſis in iſto loco inſtituendae.

### THES. XIII.

Empyematis  
Prognofis et  
cura per pa-  
racenteſin.

**M**ateria quippe purulenta in caultate haerens, niſi quantocyus euacuetur, uiscera adiacentia pulmonem cum corde in pericardio ſuo haerente ac pleuram rodit et uellicat, ac dolores non tantum excitat grauiffimos, ſed etiam putredinem iisdem communicat, quemadmodum in noſtro caſu uidimus, pleuram ac pulmonis membranam externam cum pericardio huius lateris, denſam ac calloſam redditam fuiſſe, quin etiam in corde ipſo extrinſecus maculam albam obſeruare licuit, quam materia acris per pericardium eidem affricauerat. Praeterea materia in caultate cumulata pulmonem comprimit ac reſpirationem ualde laedit, cor ipſum quoque et truncos uasorum pondere grauat, ac palpitationes cordis, lipothymias, aliaque grauiffima inducit

ducit

ducit Symptomata, tandemque aegros subito uel lente suffocat. In tanto, tamque praesentaneo, uitae periculo nullum aliud remedium regulariter suppetit, praeter aperrionem ac incisionem thoracis, pro materiae educatione, iuxta artis regulas instituendam. Huius remedii inuentionem fortunae tribuunt, Empyicum quendam ex desperatione castra secutum, in conflictu cum hoste uulnere thoracis accepto, educta hoc casu materia, liberatum fuisse, perhibentes. Periculo quidem non caret haec operatio, ac saepe frustra instituitur, quia frequenter corruptio pulmonis subest, ac aegri quandoque in ipsa operatione et educatione materiae intermoriuntur, imprimis si tardius instituatur operatio, uiribus aegri iam tum deiectis. Nihilo tamen secius, nullo alio remedio in casu necessitatis superstite, duro nodo durus cuneus adhibendus est, ac in statu desperato et conclamato fatius est, anceps eligere remedium, quam nullum.

#### THES. XIV.

**E**xempla tamen quam plurima in Scriptoribus con-  
 signata sunt eorum, in quibus empyema non tan-  
 tum per expectorationem, sed etiam per urinam, al-  
 num, umbilicum euacuatum legere licet, conf. STAL-  
 PART. *uau der WIEL. loc. cit.*, TVLPIVS etc. Imo  
 per scabiem illud solutum fuisse relatam legimus in  
 EPHEM. GERM. *obs. 14. A. II. Dec. I.* Tantus est nume-  
 rus historiarum ab Auctoribus fide dignis relatarum,  
 ut

Quid de eua-  
 cuatione  
 empyematis  
 per alias uias  
 sentiendum  
 sit?

ut omnium ueritatem in dubium uocare aut negare non liceat. Hactenus tamen, praeter circulum sanguinis uniuersalem, nulla alia patet uia, per quam eiusmodi metastases ac translationes materiae ad loca remotiora fieri queant. Verendum etiam quam maxime, ne Autores interdum decepti fuerint, empyema cum uomica et affectibus cognatis confundentes, quia in his quidem, ulcere adhuc dum in pulmone existente, facilius et expeditior uia erit, qua pus a uenis pulmonalibus receptum, circulo sanguinis ad renes atque intestina adduci posset. Sed cum hi casus rarissimi, inusitati ac extraordinarii, nullam regulam formant, ut Medicus iisdem adductus, medelam negligat, ac naturae conatum in expellenda materia per uias incognitas expectet, merito de his iudicium nostrum suspendimus. Per expectorationem tamen materiam, in cauitate pectoris haerentem, promoueri posse, nulli dubitamus, quando nempe per hiatum in pulmone patentem, illa ad tracheae ramificationes, aequae patulas, penetrare potest. Huius illustre exemplum habemus in historia morbi Lichtscheidiani antea adducta, in cuius Viri corpore, post mortem aperto, in pulmone sinistro, ab empyemate diuturno suppuratione omnino consumto, fistula interius callo obsita, in tracheam penetrauit, qua duce, ubi durante adhuc uita, deligatio uulneris paracentesi facti, et cum ea eductio materiae per aliquot dies neglecta fuit, materia insolitam hanc uiam quaerens, excitata tussi molesta  
et



et expectoratione uiolenta, per os euacuata fuit. Notatu dignum in hoc casu praeprimis est, empyema per integros quatuor annos in pectore occlusum fuisse, uita superstita, antequam paracentesis facta sit. Memorabile praeterea, quod natura nouam uiam illud euacuandi non inuenerit, licet sufficiens tempus et spatium deliberandi habuerit. Praebet hoc sane fortissimum argumentum contra illos, qui prouidae, ut illis audit, naturae, multum sagacitatis, ingenii et consilii, in excogitandis uis extraordinariis, ad morbos expellendos, tribuunt, atque, neglecta cura conuenienti, tales euacuationes extraordinarias expectant. Attentionem etiam meretur paracentesis effectus exoptatus et salutaris, quoniam, hac facta, aeger, cessante illico pulsu cordis dolorifico et anxio, statim post deligationem libere circumambulare potuit, ac per tot annos, educta continuo materia, superstes fuit, ac munia sua obiit.

## THES. XV.

**H**unc casum si cum nostro comparamus, parum habest, quin credamus, foeminam hanc paracentesi in tempore adhibita in uita seruari, uel saltem a suffocatione praeseruari potuisse. Nullum in eius uisceribus reliquis uitium eminens adfuit, quod mortem necessario accelerare debuisset. Pulmonis quidem dexter lobus compressus erat, ita, ut, compressione ab ambiente materia durante, in respiratione officio suo

An a paracentesi thoracis in nostro casu quicquam auxilii sperandum fuisset?

E

fe

se abdicauerit, interna substantia, ut ut densa, mollis tamen atque indurationis et scirrhescentiae expers fuit, quae etiam, iteratis iniectionibus aquae et inflationibus, aliquantulum extendebatur. Sinister uero lobus omnis uitii expers fuit. Contra in citato casu pulmonis lobus lateris affecti totus putredine consumptus, alter uero lobus pleurae et diaphragmati adnatus ac purulenta materia ibidem repletus fuit. Vomicae sinus in nostra non profunde in substantiam pulmonis penetrabat, sed satis superficialiter situs erat, quod in praeparato et exsiccato pulmone adhuc monstrare possumus. Sed quia hae rantum sunt coniecturae, ac sero post mortem medicina paratur, ab his abstineamus. Sufficit nobis, duce praesente obseruatione, in hac Dissertatione monstrasse, quanta mala cum febribus intermittentibus subinde complicantur, aut a cura neglecta, uel male instituta, ex iis oriantur, quantaque propterea in earundem curatione opus sit prudentia atque circumspectione.

F I N I S.

Hos



**H**os statuit Medicina Tibi, quos  
debet, honores,  
Vt partem caperet nominis ipsa  
Tui:

Macte, precor, longaeque ferat  
praesagia famae,  
Hos aditus meritaе fortis habere  
debet.

His paucis NOBILISSIMO CANDIDATO,  
AUDITORI SVO INDUSTRIO, conferen-  
dos propediem pro meritis honores lu-  
bens meritoque gratulatus, DEVM in fa-  
cienda Medicina propitium ex animo pre-  
catur

10. GOTHOFREDVS DE BERGER,  
Consiliarius Aulæ et Archiater Regius,  
Professor Med. Primar. et Academiae  
SENIOR.

Man

Man sieht/ geehrter Freund, Dich heut  
auf Pindus-Höhen/

Wo niemahls müder Fleiß sich auf die Probe stellt/  
Vor der gelehrten Schaar nicht ohne Ruhm bestehen/

Daß auch Hygaea Dich des Lorbers würdig hält/  
Und zu Morbonem spricht: Dein blasses Reich zu  
zwingen

Soll es MVTILLET in seiner Kunst gelingen.

Drum gratulir ich Dir/ du Preis der Medritinnen/

Geh/ stelle Dich nunmehr dem werthen Bet-  
ter dar.

Gott seegne Selbigen und alle Sein Beginnen/

Damit/ wie bis daher Sein ganzes Sorgen war/  
Er Seine Lust an Dir/ und Deinem Wohlsenn finde/  
Und ferner Dein Verdienst Dir Ehren-Cränze winde.

PRAESES

ABRAHAMVS VATER,

D. et P. P.

